



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magistro Et Fratribvs militiæ Christi in Riga.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

dicere possumus, Quis infirmatur &c. in eundem serè modum ut in superiori quæ mittitur Patriarchæ Alexandrino usque. Cùm igitur tamquam aurum in fornace Dominus suos probet electos, universitatem vestram monendam duximus & hortandam quatinus non deficiatis in tribulationibus vestris &c. usque supernæ miserationis retardatur effectus, à quibus vos sub obtestatione divini iudicij obsecramus penitèntiam abstinere, ne per vos inter gentes sanctum nomen Domini blasphemetur. Alioquin frustra profectò vel à Deo misericordiam vel à nobis solatium expectatis. Datum Laterani xiv. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*MAGISTRO ET FRATRIBVS  
militiæ Christi in Riga.*

*Epist. 149.  
Differt erec-  
tionem episco-  
pali sedis.*

**G**Ratias eximias bonorum omnium referimus largitori quòd conatus vester contra barbaras nationes inutilis non existit, sed de die in diem in vestris manibus prosperatur; ita ut gressus vestros Domino dirigentes, plures vobis subjeceritis ex eisdem, & ad unum adduxeritis cultum Dei, recepto baptismatis sacramento. Verùm dilectus filius. . confrater vester lator presentium à nobis cum instantia postulavit ut in terris illis quas vobis nuper divina præeunte clementia subjugastis dignaremur Episcopum ordinare. Sed preces ipsius, cùm arduum sit negotium, non duximus protinus admittendas; quin potius usque ad tempus expectandum providimus opportunum; universitatem vestram monentes & exhortantes attentius quatinus in Domino confortemini & in potentia virtutis ipsius, prælia Domini viriliter pugnaturi; scientes quòd nostrum vobis non deerit auxilium in quibus cum Domino viderimus expedire. Datum Laterani viii. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*ABBATI SANCTI VICTORIS  
Parisiensis.*

*Epist. 150.  
Interpretatur  
quoddam pri-  
vilegium eiu-  
dem Abbati  
concessum.*

**S**icut ex litteris tuis nuper accepimus, cùm olim ex parte dilectorum filiorum scholarium Parisiensium nobis fuerit humiliter supplicatum ut cùm interdum eorum aliqui ex mutua iniectione manuum in canonem incidant sententiæ promulgatæ, pro qua sine gravi dispendio, & præsertim sine scholastici studij detrimento, non possent ad apostolicam sedem accedere, super hoc dignaremur eisdem misericorditer providere, nos tibi dedimus in mandatis ut

cùm esses à talibus requisitus, auctoritate nostra suffultus juxta formam Ecclesiæ absolutionis eis munus impenderes, & injungeres ipsis quòd hujusmodi consuevit injungi, nisi forsàn tam gravis esset & enormis excessus quòd meritò propter eum deberent ad sedem apostolicam laborare. Tu verò quorundam consilio asserentium beneficia Principum latissimè fore interpretanda, scholaribus Parisiensibus qui inciderant in hujusmodi canonem quocunque loco, iniciendo temerè manus in Clericos violentas, juxta formam præscriptam absolutionis beneficium impendisti. Nos igitur his auditis de tua non potuimus prudentia non mirari, quòd ad sic intelligendum litteras nostras tuum animum inclinasti, cùm in eisdem litteris non dicatur incidant, sed incidant in canonem sententiæ promulgatæ; ut de illis solis intelligatur scholaribus qui Parisius existentes hujusmodi committunt excessum. Quocirca presentium tibi auctoritate mandamus quatinus scholares illos absolvere de cetero non præsumas qui alibi quàm Parisius taliter deliquerunt, sciens quòd illi pro absolutis haberi non debent quos alibi delinquentes quàm Parisius absolvesti, cùm de talibus nullam acceperis potestatem. Datum Laterani x. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

*DECANO ET CAPITULO  
beati Aniani.*

**S**icut exhibita nobis ex parte vestra petitio declaravit, Ecclesia vestra occasione cujusdam consuetudinis perverſæ ibidem hæcenus observatæ debito Canonorum servitio sæpius defraudatur. Cùm enim Ph. quondam Decanus & Capitulum ipsius Ecclesiæ statuisſent ut illi tantum præbendarum suarum integrè perciperent redditus qui assiduè impenderent eidem Ecclesiæ famulatum, adjungentes insuper quòd tantum ille diceretur & esset assiduus qui eidem soli Ecclesiæ Canonici servitium exhiberet, se servaturos hæc omnia præstito juramento firmantes, nonnulli vestrum exinde occasione fraudulenter assumpta, cùm extra civitatem Aurelianensem frequenter moram faciant longiorem, ita quòd per totum annum continuè vel interpolatim, dierum numero computato, nec etiam per tres menses Ecclesiæ serviunt memoratæ, integrè fructus suarum percipiunt præbendarum, dicentes se juxta statutum præfatum assiduitatem servitij Ecclesiæ impendisse. Verùm postulastis à no-